

RESPONSIO M. BVCERI

cultatem fecerat etiam aliter quaedam in eo interpretandi, addendi & detrahendi, ut non tam suum quam meum esset psalterion, & addidisse illi, quæ et si Pomeranus non scripsit, Deitamen sunt, insignis perfidia est. Si debuit æque meus esse, atq; illius liber, cur non licuisset in meum librũ scribere, quod Christi dogma non dubitarim? Quanquã ut infra declarabo, nihil cum Pomerani scriptis pugnans, psalterio, eo quidem loci assuerim. Cæterum sciat Lutherus aliud esse, ostendi ex libris suis, quanto sanius aliquando de Eucharistia, quàm modo, contentione sui dissimilis factus, loqui solitus fuerit, & patrocinium ab illis petere. Verbo dei nitimur, quare hominũ patrocinio nõ egemus, Christiani hic, non hæretici, sine ipso futuri, dum & cum Dominus in uiam reduxerit, libris suis à nobis nihil metuat. De patrum libris sentiat quid uelit, spiritalis dijudicat omnia.

RESPONSIO AD PRIMVM.

- I. Queritur ante hæc Lutherus me permissu Dei in monstrum illud blasphemum sacramentarij spiritus lapsum, & donum illud facundie & intelligentiæ, contaminari in me, imò perdi pestilenti illo ueneno. Hæc uerba Lutheri plus satis Germana, dura scilicet nimis et tragica. Prouoco autem à Luthero, indignatione extra se posito, ad Lutherum mansueto spiritus iudicio sibi ipsi redditum, quod nam sit illud blasphemum monstrum sacramentarij spiritus? Sacramentorum spiritum ignoramus, qui & hanc nocem sacramentum cum scriptura Dei ignoramus, malentes,